

ritum C. C. Sangvinis &c. eadem prorsus facie in mixtis suis latuisse? Formicæ per se e retorta destillatæ, præbent unum acidum, \oplus is spiritui non absimilem, qui Corallia, \ominus , aliaque solvit; his vero putredini prius traditis, urinosum acquires; Herbae & flores maxime fragrantés per putrefactionem spiritum urinosum & graveolentem exhibent, quoniam excessiva hac fermentatione partes oleosæ dulces, quibus spicula \ominus ium involvuntur nimium, resolvuntur & dissolvuntur, \ominus inæ vero eo magis expanduntur, quæ tum spicula sua rigida exerunt, indeque sensoria nostra tam ingrate afficiunt. Quin imo fiunt ejusmodi transmutationes \ominus ium sponte & toto die in natura, etiam nulla accedente arte, quando iidem fructus pro diverso maturationis statu saporem odoremque modo austerum, acidum, amarum, modo dulcem produnt; manifesto indicio, \ominus ia quæcunque acida, alcalia & mixta non forma aliqua specifica, seu tota essentia, sed sola textura, figura & complicatione partium heterogenearum differre, indeque toties inter se transmutari.

Thef. 10.

Ex his tandem ingens quoque horum spirituum lusus emergit, non tantum ratione subjectorum, animalium scilicet vegetabilium & mineralium, quorum certe singulis, propria & specifica temperatura debetur, & quæ per Δ em haut penitus destruitur. Quibus accedit, quod pro diversa artificis enchirisi mirum quantum variant, necesse fit, & modo alcalici plus minus, modo acidi pariterque oleosi emergant; indeque haut nullius momenti est, quem spiritum urinosum, huic vel illi morbo curando adhibueris.

CAP. IV.

De

SPIRITIBUS ACIDIS.

Thef. 1.

Spiritibus istis alcalicis textura & figura partium, adeoque etiam omni effectu prorsus contrarii sunt acidi liquores,

C 2

itidem